

adulterium committitur, can. *Sicut alterius uxor.*, 7, q. 1. Sed episcopus translatus, et in translationem consentiens, acquirit sponsam alteram Ecclesiam, ut cap. ult., h. t., ergo liberatus est a prima, sicque hæc in continenti vacat.

39. *Idem probatur rationibus.*—Nec obstant rationes Glossæ, n. 34, allatæ. Nam imprimis cit. c. *Cum in cunctis, de Elect.*, non loquitur de episcopo translato, sed de episcopo noviter ordinato, cui priora beneficia relinquuntur usque ad suam confirmationem et consecrationem. Et ratio disparitatis est: quia episcopus noviter ordinatus, non habet stricte conjugium spirituale cum beneficiis minoribus prius a se possessis; sicque non est inconveniens, ut hæc ipsi ad episcopatum promoti usque ad tempus consecrationis de jure remaneant, cum etiam post adeptum episcopatum possit talia ex causa de novo acquirere, ut c. *Cum in Ecclesia*, 25, de *Præbend.*, in 6. Secus est de episcopo translato: nam episcopus habet proprie conjugium spirituale cum sua Ecclesia, juxta dicta superius, num. 16. Et consequenter nequit ipse, spectato jure communi, aliam Ecclesiam acquirere, seu ad ipsam transferri, nisi prius absolvatur a vinculo prioris Ecclesiæ; alioquin sequeretur quod esset sponsus duarum Ecclesiarum, sicque contingeret adulterium spirituale, cit. c. *Sicut alterius uxor*, 7, q. 1. Abbas, cit. consil. 101, n. 6 et 7, post Joan. Monachum, et Joan. Andream.

40. *Ac solvuntur rationes Glossæ. Disparitas quoad episcopum translatum, et episcopum noviter ordinatum, quoad vacationem præhabitorum beneficiorum.*—Ad can. *Si quis episcopus*, dist. 92, et alios consimiles textus, sicut et ad c. *Si beneficia, de Præbend.*, in 6, respondetur per idem: quia loquuntur non de aliquo episcopatu præhabito; sed de præhabitis aliis beneficiis minoribus. In his quippe cum non interveniat stricte matrimonium spirituale, haud est necesse, quod prius interveniat absolutio ab eorum vinculo: secus accidit in episcopatu; ac proinde translatio episcopi a sua priori ad aliam Ecclesiam merito de jure, ac de more sanctæ Romanæ Ecclesiæ, non fit, nisi præmissa absoluteione a vinculo prioris Ecclesiæ, cit. c. *Bonæ memoriæ*, 4, de *Postulat. prælat.* Quia facta ad instantiam, seu consensum episcopi transferendi, illico vacat prior Ecclesia, utpote vi data sponso suo.

41. *Si transfertur episcopus absens, et igno-*

*rans, non vacat prior Ecclesia ante præstitum a translato consensum.*—Resp. II. Quod si translatio episcopi a sua ad aliam Ecclesiam, auctoritate Summi Pontificis fiat ipso absente, ac penitus ignorante, censetur vacare prior Ecclesia primum post scientiam, et consensum a translato præstitum, nisi secus exprimat. Ita Abbas, cit. consil. 101, num. 4, lib. II; Fagnanus, c. *Quanto*, n. 96 et seqq., h. t., citans alios, ac sequitur ex dictis, n. 27. Siquidem Papa episcopum absentem, et ignorantem, non aliter solet transferre (nisi secus exprimat) quam sub conditione, quod is consentiat, vel expresse, vel saltem tacite, acquiescendo videlicet translationi de se factæ; unde taliter translatus, priusquam translationi consenserit, non est episcopus secundæ Ecclesiæ, nec sponsus ejusdem; idque ex defectu consensus, per quem matrimonium spirituale cum Ecclesia initiat, cap. ult., h. t., et c. *Cum inter*, 21, de *Election.*

42. *Nisi secus exprimat.*—Additur notanter, « nisi secus exprimat. » Nam vacatio, ac retentio priorum beneficiorum, aut etiam præhabiti episcopatus, regulatur a voluntate, vel decreto Papæ, per jura, n. 23, allegata: ipse vero Papa quandoque decernit vacare alia beneficia vel ante, seu tempore translationis in Curia factæ; vel etiam post, puta, cum primum translatus acceperit pacificam possessionem episcopatus, vel majoris partis honorum. Card. Tuschus, litt. B, concl. 71, n. 15, post Angelum, consil. 274, in princip. Et hæc limitatio etiam locum habet respectu prioris conclusionis, n. 35, datæ.

43. *Aut nisi translatio fiat ob publicam causam, et non favore personæ.*—Deinde notat idem card. Tuschus, loc. cit. n. 14, post Abbatem, cap. ult., num. 13, de *Postulat. prælat.*, et alios, quod si translatio fiat ob meritum, seu favorem personæ, vacet prior episcopatus a die acceptionis, ut dictum in conclusione: si autem fiat translatio ob publicam causam, puta, ob evidentem utilitatem, vel necessitatem Ecclesiarum, statim ille vacet a die promotionis, seu translationis, dummodo Papa non decernat aliud tempus vacantiae. Et hæc faciunt dicta superius, n. 24 et 25, ubi notatur, quod Papa censetur transferre episcopum ob favorem personæ, si procedit providendo, seu promovendo: secus autem, si procedit jubendo.

44. *Episcopus translatus, an secum possit asportare fructus prioris episcopatus, ac res ex ipsis emptas? Referuntur auctores pro sen-*

*sentia negativa.*—Quæritur III. Utrum episcopus translatus de uno episcopatu ad alium, possit secum asportare bona ex redditibus prioris Ecclesiæ, seu episcopatus acquisita? Non pauci absolute negant posse episcopum translatum secum asportare fructus primi episcopatus, aut res ex ipsis emptas; prout tenet Petrus Barbosa, part. II, l. *Divortio*, n. 52 et seqq., ff. *Solutio matrimonio*, citans pro se cardinal. Tuschum, consil. 110, n. 2; Bellameram, c. *Si quis translatus*, 21, q. 2, n. 10; Ancharanum, consil. 189, n. 1; Paul. Castrensem, consil. 337, n. 8, lib. I; Alciatum, resp. 1, n. 49, lib. I, et alios: atque horum sententiam, præter Barbatiam, vol. III, consil. 20, n. 13, et alios a se citatos, sequitur Augustinus Barbosa, part. III, de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 114, n. 16, docens, quod episcopus translatus teneatur priori episcopatu relinquare fructus jam perceptos, et res ex illis emptas; quamvis, lib. I, *Jur. eccles. univ.*, cap. XIX, n. 35, et cap. I, n. 4, h. t., oppositæ sententiæ nonnihil faveat.

45. *Et hujus rationes.*—Ratio dictæ sententiæ negativæ esse potest, quia episcopus non est dominus, seu proprietarius rerum Ecclesiæ, sed solum œconomus, et dispensator, can. *Si privatum*, 12, q. 1, et can. *Quod autem*, 16, q. 7, cum similibus; ergo nullum habet jus ipsas secum asportandi. Insuper translatus ab una Ecclesia ad aliam, hoc ipso desinit esse episcopus prioris Ecclesiæ; et consequenter nequit amplius disponere de bonis, ac fructibus ipsius, sed tenetur ipsos relinquare successori, ejusque dispensationi. Tandem spectato jure communi certum est, quod omnia bona episcopi, intuitu Ecclesiæ acquisita, post mortem ipsius sint conservanda in dominio Ecclesiæ, cap. I, de *Testam.* ac futuris successoribus fideliter reservanda: c. *Quia sæpe*, 40, de *Elect.*, in 6; ergo idem dicendum de episcopo translato: nam translatus dicitur mortuus quoad primam Ecclesiam ab illa hora, qua transfertur, can. *In apibus*, § *Ecce*, 7, q. 1, et ibi Glossa, § *Defuncto*.

46. *Et hujus rationes.*—Accedit constitutio 7 Julii III. *Cum sicut*, confirmata per Urbanum VIII, in sua constitutione 80. *Æternus rerum Conditor* (et habetur ista tomo IV, illa vero tomo I *Bullarum Romanarum*) in qua Pontifex expresse, ac motu proprio decernit, quod fructus beneficiorum tempore obitus beneficiorum, etiam episcoporum, vel cardinalium inexacti, spectent ad successores in beneficiis, uti non debent rev. Cameræ Apos-

tolicæ persolvi: et consequenter episcopus translatus, utpote quoad priorem Ecclesiam civiliter mortuus, nequit eos sibi applicare, et asportare, cum debeantur successori. Verum his non obstantibus,

47. *Potest episcopus translatus secum deferre fructus jam perceptos.*—Resp. I. Episcopus translatus de uno episcopatu ad alium, potest secum deferre fructus jam perceptos. Ita Rota, decis. un. de *Translat. episcop. in antiquis*; card. Tuschus, litt. T, concl. 364, num. 10; Calderinus, consil. 264, alias 2, de *rebus Eccles. non alien.*, et alii. Ratio est: quia redditus, seu fructus beneficiorum, dantur clericis, ipsisque episcopis ob ministerium, quod Ecclesiis exhibent in earum regimine, et cura, aliisque divinis obsequiis, c. *Cum secundum*, 16, de *Præbend.*; ergo æquum est, ut ipsis de una Ecclesia ad aliam translatis relinquuntur, sicque asportari valeant. Accedit, quod juxta probabiliorem sententiam (de qua lit. de *Peculio clericorum*) clerici, ipsique episcopi, non sint meri œconomi et dispensatores reddituum beneficialium, sed etiam verum horum dominium acquirant, licet cum onere, superflua in pias causas erogandi; ergo hoc ipso possunt fructus jam perceptos secum asportare, utpote domini eorumdem.

48. *Ac bona mobilia ex eis comparata.*—Resp. II. Insuper episcopus translatus potest sibi retinere, secumque asportare bona sua mobilia, acquisita in priori Ecclesia, seu ex ejus fructibus comparata; dummodo hæc nondum desinasset illi Ecclesiæ. Ita card. Tuschus, cit. conclus. 364, n. 10, post Calderinum, ubi supra. Ratio prioris partis eadem est, quæ numer. 46 et 47, de fructibus allata fuit: si enim episcopo translato licitum est secum asportare fructus prioris Ecclesiæ jam perceptos, cur non etiam res mobiles ex talibus fructibus comparatas? Nam res, quæ succedit in locum alterius, eodem jure censetur cum illa, c. *Ecclesia*, 3, *Ut lite pendente*, junctis concordantiis ibidem a Glossa, § *Succeperunt*, allegatis. Et quia circa hujusmodi bona jus non distinguit, idem videtur dicendum, sive bona illa mobilia ex prioris redditibus suæ Ecclesiæ comparata, sint pretiosa, sive non pretiosa, dummodo nondum fuerint destinata Ecclesiæ.

49. *Dummodo hæc necdum destinasset Ecclesiæ.*—Et hoc notanter additur: quia, si episcopus ille talia bona jam semel destinasset, seu donasset Ecclesiæ, remanebunt in

dominio Ecclesie, nec poterunt ab episcopo translato amplius auferri, can. *Nulli liceat*, et can. *Indigne*, 12, q. 2, cum similibus.

50. *Tenetur tamen relinquere fundos prioris Ecclesie bene instructos. Ac in locum demortuorum animalium, vel arborum, alia substituere.* — Similiter, quando Ecclesia ante adventum episcopi pro suis necessitatibus, aut instructione prædiorum, vel cultura fundorum suorum, habuit certa animalia, ut puta, equos, boves aratorios, greges ovium, ac hujusmodi, et episcopus in locum deficientium subrogavit alios equos, boves vel oves, nequit is post factam suam translationem ejusmodi animalia, utpote jam destinata Ecclesie, secum deferre, sed tenetur relinquere fundos instructos in eo statu, in quo invenit. Card. de Luca, discurs. 84, de *Beneficiis*, n. 13. Ubi addit hoc idem esse dicendum respectu illorum animalium, quæ necessaria fuissent ex fundi qualitate pro illo instruendo, quamvis ex culpa prædecessoris, vel ex alio casu, successor ab ingressu sui episcopatus non invenisset tot animalia: cum suppletio fieri debeat ex fructibus tanquam per speciem oneris intrinseci, ac realis; sicut et in vinearum, vel arborum demortuorum locum, alias usufructuarius substituere tenetur, ut l. *Agri*, et l. *Vetus fuit*, et seqq., ff. de *Usufructu*, et § *In pecudum*, instit. de *Rerum divis.*, ubi hujus ratio subjungitur: « Quia recte colere, et quasi bonus paterfamilias uti debet. »

51. *Episcopus, vel alius beneficiarius, non est dominus possessionum suæ Ecclesie, sed administrator, et quasi usufructuarius.* — Episcopus quippe, sicut et quivis clericus beneficiarius, non est dominus possessionum, seu fundorum, aliorumque honorum immobilium Ecclesie suæ, sed dumtaxat administrator et œconomus, can. *Expedi.*, et can. *Videntes*, 12, q. 1, cum similibus: atque in vivis comparatur usufructuario, juxta Glossam receptam. c. *Præsenti*, 9, §. *Reservari*, de *Offic. ordinari.*, in 6, et amplius notat Fagnanus, c. *Si quis sane*, n. 3, de *Peculio cleric.*

52. *Solvuntur rationes sententiæ negativæ.* — Nec obstant rationes, n. 45, in oppositum allatæ. Ad primam quippe dicitur: licet episcopus non habeat dominium, seu proprietatem possessionum, atque fundorum suæ Ecclesie, sed sit horum dumtaxat œconomus, et quasi usufructuarius, ut proxime dictum; tæcus tamen esse dicendum de fructibus, seu redditibus, aliisque bonis mobilibus inde comparatis: nam horum verum dominium acqui-

rit episcopus, juxta dicta in conclusione, et amplius suo loco dicenda. Ad secundam negatur consequentia, ob rationes in prima conclusione positas. Ad tertiam respondetur per idem. Licet enim episcopus translatus censeatur civiliter mortuus quoad priorem Ecclesiam, nihilominus remanet in ipso jus, seu dominium jam semel acquisitum respectu fructuum perceptorum, aliarumque rerum ex ipsis coemptarum.

53. *Solvitur instantia ex bulla Julii III, Cum sicut.* — Nec tandem obstat citata bulla Julii III. *Cum sicut*. Illa enim loquitur solum de fructibus beneficiorum, tempore mortis beneficiorum adhuc inexactis, seu nondum perceptis, neque de aliis bonis ipsorum clericorum incorporatis: nam tales adhuc sunt fructus ipsarum Ecclesiarum, unde proveniunt, et cujus fundis cohærent, sicque veluti res Ecclesiarum omnijure alienari prohibentur; et consequenter nec ab hæredibus talium beneficiorum post horum mortem exigi possunt, sed sunt relinquendi ipsimet Ecclesie, seu successori in beneficio, prout amplius in eadem bulla notatur. Contra vero utraque conclusio nostra expresse loquitur de fructibus prioris episcopatus jam perceptis, seu exactis, aliisque rebus sive bonis inde comparatis: unde neququam dictis obstat memorata constitutio Julii III, postmodum confirmata ab Urbano VIII.

54. *Quinimo per hanc confirmatur nostra sententia.* — Quinimo per eandem bullam confirmatur, magisque probatur utraque nostra conclusio. Nam Pontifex in eadem bulla, § *Nos attendentes*, expressis verbis fatetur fructus, pecunias, aliasque res occasione Ecclesiarum, et beneficiorum ecclesiasticorum provenientes, « postquam ad manus beneficiorum pervenerunt, et cum aliis ipsorum fructibus, etc., pecuniis, et rebus commixti seu ipsis beneficiatis incorporati sunt, non ulterius in ecclesiasticis, sed potius ipsorum beneficiorum propriis, et ab eis acquisitis bonis judicari, et propterea quodammodo pro sæcularibus, et profanis haberi. » Et consequenter, sicut episcopus translatus potest fructus, ac res suas proprias secum asportare, ita etiam secum deferre poterit fructus prioris episcopatus jam perceptos (sub datis tamen, n. 49 et 50, limitationibus) cum censeantur ipsius proprii, et quodammodo sæculares.

55. *Fructus pendentes, et inexacti, an pertineant ad episcopum translatum pro rata temporis? Refertur sententia affirmativa.* — Major

difficultas est de fructibus pendentibus, et tempore factæ translationis episcopi adhuc inexactis. Et quidem, quod fructus etiam pendentes, propter spiritualia ministeria Ecclesie exhibita, pertineant pro rata temporis ad episcopum, qui transfertur ad aliam Ecclesiam: tradit in simili Covarruvias, lib. I, *Var. resolut.*, cap. xv, n. 12; Flamin. Parisius, lib. I, de *Resignat. beneficior.*, cap. vi, n. 79 et 80; Nicol. Garcias, part. II, de *Beneficiis*, cap. 1, n. 96 et seqq., allegans alios, et novissime card. de Luca, discurs. 84, de *Beneficiis*, num. 4.

56. *Sententia negativa amplius probatur.* — Oppositam sententiam videlicet, quod episcopo translato non debeantur fructus pendentes prioris episcopatus, et tempore factæ translationis etiamnum inexacti, indicat Rota in cit. decis. un. de *Translat. episcop.* in *antiquis*. Nam hoc ipso, quod asserat episcopum posse secum ferre fructus perceptos, videtur sentire, quod pendentes, atque inexactos non habebit; prout argumentatur, atque tenet Petrus Barbosa, in cit. l. *Divortio*, num. 52, ff. *Soluto matrimonio*, post Sarmiento, de *Redditib. ecclesiast.*, part. II, quæst. 4, ad finem, idemque tenet Glossa, in c. *Præsenti*, §. *Reservari*, de *Offic. ordinari.*, in 6; Hostiensis, cardinalis, Imola, in cap. ult., de *Peculio cleric.*; Navarrus, consil. 7, de *Successionib. ab intestat.*, 7; Rota, in causa Pharens. pensionis, 19 junii 1573, relata per Garciam, ubi supra, n. 95, 108 et 109, hanc appellans communem opinionem. Accedit ratio: quia, licet clerici acquirant dominium reddituum ecclesiasticorum jam perceptorum ut tenet probabilior, et communior modernorum opinio: adhuc tamen ipsi non sunt domini honorum immobilium ecclesiasticorum, puta, possessionum, agrorum, vinearum, et hujusmodi ad honestam sustentationem ministrorum Ecclesie deputatorum; sed horum solum sunt administratores, et usufructuarii in vita. Glossa, c. *Præsenti*, §. *Reservari*, de *Offic. ordinari.*, in 6; Fagnanus, c. *Si quis sane*, n. 3, de *Peculio cleric.*, allegans alios, et concordant dicta superius, n. 51. Atqui usufructuarius solum acquirit fructus ante mortem collectos, non vero pendentes; hi enim pertinent ad Ecclesiam, vel successorem in beneficio, l. *Si usufructuarius*, ff. *Quibus modis usufruct. amitt.*, et § *Is vero*, instit. de *Rerum divis.*, ubi sic legitur: « Is vero, ad quem usufructus fundi pertinet, non aliter dominus fructuum efficitur, quam

si ipse eos perceperit. Et ideo, si maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit, ad hæredes ejus non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur. » Hæc ibi. Concordant in simili dicenda inferius, tit. 9, de *R. nunti.*, § 6, num. 156 et seqq. de divisione fructuum pendentium inter resignantem et resignatarium.

57. *Sententia negativa amplius probatur.* — Eadem sententia negativa amplius probatur per citatam bullam Julii III, *Cum sicut*, ab Urbano VIII, postea confirmatam, in qua Pontifex motu proprio constituit, seu declaravit, quod fructus beneficiorum tempore obitus beneficiorum, etiam episcoporum inexacti, seu nondum percepti, nec aliis ipsorum bonis commixti, sive incorporati, ad successores in beneficiis, et non ad hæredes pertineant, in iis locis, in quibus non deputantur a rev. Camera Apostolica spoliolum collectores. Rationem hujus reddit Pontifex ibidem: quia fructus beneficiorum inexacti, seu adhuc pendentes, et nondum percepti, sunt ipsarum Ecclesiarum, ac vere existunt, censerique debent ecclesiastici; atqui juri non congruit, ut quis de bonis, seu rebus ipsarum Ecclesiarum quæ omni jure alienari prohibentur, disponere, aut illa alienare valeat, etc. Cum igitur hæc ipsamet ratio, quæ veluti in lege expressa, est anima ipsius, urgeat quoque in translatione episcopi, per quam episcopus saltem civiliter moritur priori Ecclesie; dicendum videtur, quod fructus adhuc pendentes, seu nondum exactos, nequeat pro rata temporis exigere (ne alioquin bona Ecclesie exigere, atque secum asportando alienare dignoscatur) sed tales sint relinquendi Ecclesie aut futuro successori, arg. c. *Præsenti*, 9, de *Offic. ordinarii*, in 6, cum concordantiis.

58. *Constitutio Julii III, Cum sicut, non est ubique usu recepta.* — Atque hæc ratio posterior ex sæpe citata constitutione Julii III, *Cum sicut*, notanter huc adducitur, ut pateat istam quantum ad hoc, esse juri communi conformem. Alioquin enim memoratam bullam (utpote quæ perdura visa fuit multis jam inde a principio promulgationis, ut loquitur Navarrus, consil. 4, n. 1, de *Successionib. ab intestat.*) non esse ubique receptam, negare vix possunt. Eam quippe non fuisse receptam in Gallis, nec etiam in Hispaniis arbitratur Navarrus, loc. cit. Concordat Nicol. Garcias, de *Beneficiis*, part. II, cap. 1, n. 103 et 104, citans insuper Zechum, de *Beneficiis et pensio-*

nib., cap. XIII. n. 8, atque ulterius ostendens, ipsam in provincia Mediolanensi nunquam usui fuisse receptam.

59. *An hæc solum procedat in beneficiatis naturaliter mortuis?* — Quin etiam Joan. Vincent. Hondedeus, consil. 85, n. 35 et seqq., vol. II; et Joan. Carolus Antonellus, tractat. *de Regimine ecclesie episcopalis*, lib. III, cap. x, n. 2, censent, quod constitutio illa Julii III, non procedat, nisi in beneficiato defuncto, hoc est, naturaliter mortuo; cum loquatur de fructibus Beneficiorum tempore obitus beneficiatorum: atque ideo non habeat, v. g. locum inter resignantem et resignarium; eo quod constitutiones juris communis correctoriæ, non sint extra casum, de quo loquuntur, extendendæ.

60. *An hæc solum procedat in beneficiatis naturaliter mortuis?* — Verum hæc posterior sententia non caret difficultate: nam licet quoad impetrationem sit differentia, an beneficium vacet per mortem, vel per renuntiationem, c. *Susceptum de Rescript.*, in 6; nihilominus nulla convincitur adesse diversitatis ratio in episcopo cedente, resignante vel translato, et in episcopo mortuo quoad vinculum, titulum et administrationem prioris Ecclesie: quia utrobique habetur pro mortuo, can. *In apibus*, § *Ecce in quibus*, 7, q. 1, ubi Glossa, § *Defuncto*, Joan. Andreas, in reg. *Non est in mora*, n. 5, de *Reg. jur.*, in 6; Abbas, c. *Nisi essent*, n. 11, de *Præbend.*; Cardinalis, consil. 110, n. 2, vol. I; Gabriel, consil. 192, vol. I; Nicolaus de Ubaldis, tom. VIII *Tractatum*, tract. *de Successionib. ab intestato clericorum*, § *Sequitur*, n. 11; Flam. Parisius, lib. I, de *Resignat. benefic.*, quæst. 5, n. 4 et 8, citans plures alios. Accedunt rationes superius, num. 38 et 57, allatæ. Et quod tunc, ubi intervenit identitas rationis in lege expressæ, recte fiat extensio etiam in correctoriis, ex professo dictum est, tit. II, de *Constitutionib.*, § 19, num. 507 et 510. (ADNOTATIO XXXVII).

#### TITULUS VIII.

##### De Auctoritate, et Usu Pallii.

1. *Ratio continuationis.* — Quia ex illis, qui ad dignitates promoventur per postulationem, electionem, vel translationem, nonnulli gau-

dent jure Pallii, ejusque usu, merito præcedentibus rubricis præsens subjungitur. Unde

2. *Pallium quid?* — Quæritur I. Quid sit pallium, a quo, et quibus conferatur, quidque designet? Resp. *Pallium* est principale ornamentum ecclesiasticum, de corpore beati Petri sumptum, et a Papa archiepiscopis datum, conferens plenitudinem pastoralis officii. Ita Hostiensis in *Summa*, h. t. n. 1; Zoesius n. 1; Engel, et alii; atque desumitur ex c. *Significasti*, 4, § *de Election.*, etc. *Nisi specialis*. 3, h. t. Declarantur singulæ particulæ, ex quarum declaratione patebit simul responsio ad tres posteriores propositæ quæstionis partes.

3. *Et cujus formæ? Ejusque mystica significatio.* — Dicitur imprimis, « principale ornamentum ecclesiasticum. » Nam, ut inquit Glossa marginalis ad rubricam h. t., Pallium toto hoc titulo sumitur pro quodam archiepiscoporum ornamento, quatuor crucibus nigris aut purpureis intexto, velut stola sacerdotalis, quod super alia ornamenta defertur, humeros velut corona, pectusque circumdans, et ante dependens. Quod quidem Pallium regulariter ex lana alba contextum; ejusque mystica significatio est, ut, cum sit de vellere ovium, intelligat illud gestans, se esse pastorem spiritualem ovium; et quia eo circumcingitur circa humeros, teneri sollicite circumspicere, ne aliqua ex commissis sibi ovibus aberret; imo et obligari, ut errantem humeris suis imponat, atque ad caulam dominicam reportet, utpote cruce Domini redemptam, et insignitam. Zoesius h. t. n. 1.

4. *Quibus conferatur?* — Dicitur secundo: « Archiepiscopis datum. » Quia Pallium est præcipuum insigne dignitatis archiepiscoporum ac superiorum episcoporum; ut sunt primates, patriarchæ, ac ipsemet Papa; quamvis ex speciali privilegio, et longa consuetudine Ecclesiarum suarum, etiam quibusdam episcopis conferri soleat prout de Papiensi, Amaricensi, Massano, et Hostiensi episcopo, qui Papam consecrat, refert Hostiensis, loc. cit., n. 1. Quibus alii, ut Valensis, h. t. § 1, n. 6; Sannig, eod. cap. II, n. 1, addunt Lucensem in Tuscia, Bambergensis in Germania, et Quinque Ecclesiensem in Hungaria; de quorum ultimo fit mentio, c. *Cum in juventute*. 13, de *Præsumpt.*

5. *Sumitur de corpore beati Petri: et cur?* — Dicitur ulterius, « de corpore beati Petri sumptum. » Quia Pallium hujusmodi bene-

fitur, et consecratur a Papa super altare sancti Petri Romæ, ibique ponitur, indeque accipitur ab archiepiscopis præsentibus, vel procuratoribus eorum, si absunt; prout innuit textus in cit. c. *Significasti*, 5, de *Election.* ubi Pontifex, archiepiscopo Panormitano rescribens, inquit: « Cum igitur a Sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ a beati Petri tantum corpore assumuntur: » et notat Glossa ibid. § *Assumuntur*: et Barbosa, n. 6. Atque hoc fieri videtur ob mysticam rationem; videlicet, ad denotandum, quod per *Pallium* conferatur veluti particula pontificiæ potestatis, quæ ex Christi concessionem principaliter residet in divo Petro, ejusque legiimis successoribus, atque exinde derivatur in alios.

6. *Datur a solo Papa; et quibus concurrentibus?* — Rursus dicitur, « a Papa datum. » Quia Pallium a solo Summo Pontifice, auctoritate propria, atque universaliter per totum orbem christianum, conferatur aliis eminentioribus episcopis, d. c. *Significasti, de Elect.*; quanquam is non consueverit honorem Pallii concedere, nisi ob exigentiam meritorum, ac fortiter pulsantibus, hoc est, instanter petentibus, can. *Prisca*, dist. 100, nec nisi præmissa consueta professione fidei, can. *Optatum*, ead. dist.; ac præstito fidelitatis, et obedientiæ juramento, cit. c. *Significasti*, et c. *Antiqua*, 23, de *Privileg.*

7. *Olim etiam quatuor patriarchæ principales Pallium contulerunt suis suffraganeis.* — Fatendum quidem, quod olim ex speciali privilegio pontificio, in concilio generali sub Innocentio III renovato, etiam quatuor principales patriarchæ, videlicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus, licite potuerint suis suffraganeis, Pallium elargiri, postquam illud præstito sibi fidelitatis, et obedientiæ juramento, a Romano Pontifice receperunt; prout expressum habetur in cit. c. *Antiqua*, 23, de *Privileg.* Verum hoc ipsis licuit dumtaxat ex concessionem, et privilegio Sedis Apostolicæ, ac limitate dumtaxat respectu priorum suffraganeorum; non autem universaliter pro toto orbe christiano. Et quia de facto dicti patriarchæ sese subtraxerunt ab unitate Ecclesie, ac debita obedientia Romani Pontificis; hodie dictum privilegium est extinctum, sicque Pallium hodie a solo Papa conferitur.

8. *Per Pallium confertur plenitudo pontificalis officii, et nomen archiepiscopale.* — Tan-

dem additur, « conferens plenitudinem pastoralis officii: » qualis in rubrica, h. t. intelligitur sub *auctoritatis* nomine; tum « quia per Pallium pontificalis officii plenitudo cum archiepiscopalis nominis appellatione confertur; » ut dicitur in c. *Nisi specialis*. 3, h. t. Adeo, ut non sit appellandus archiepiscopus ante Pallii receptionem, juxta Glossam ibid. § *Nominis* et Abbatem n. 1 et 7, ubi inquit, quod promotus in archiepiscopum, licet sit consecratus in episcopum, ante receptionem Pallii non appelletur *Archiepiscopus*, sed cum addito, *electus*; tum quia archiepiscopo, quantumvis consecrato in episcopum, non licet exercere ea, quæ sunt ordinis episcopalis, nec illa jurisdictionalia, quæ sunt majoris ponderis; ac proinde nequit is convocare concilium, conficere chrisma, dedicare basilicas, ordinare clericos, vel episcopos consecrare: nam talia videretur agere, non tanquam simplex episcopus, sed tanquam archiepiscopus, text. clar. c. *Quod sicut*, 28, § *Super eo, de Election.* et amplius tradit Abbas ibid. n. 4.

9. *Archiepiscopus ante receptum Pallium, quæ possit exercere, nec ne?* — Poterit tamen archiepiscopus confirmatus ante receptum Pallium, ea, quæ sunt ordinis episcopalis, demandare suo suffraganeo, qui et licite talia exercet; cum in ipso cesset ratio proxime allata, estque decisum in c. *Suffraganei*, 11, de *Elect.* Insuper is per actum confirmationis recipit potestatem quoad ea, quæ sunt jurisdictionis, exceptis dumtaxat causis majoribus, ut est convocare concilium, c. *Transmissam*, 15, eod. ac notat Abbas in c. *Nisi specialis*, n. 3, h. t.

10. *Papa in missarum solemnibus utitur Pallio semper, et ubique.* — Quæritur II. Ubi, et quando sit utendum Pallio? Resp. I. Romanus Pontifex semper, et ubique, in Missarum solemnibus utitur Pallio: « Quoniam assumptus est in plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, quæ per Pallium significatur. » Textus est in c. *Ad honorem*, 4, h. t.

11. *Non sic inferiores prælati; et cur?* — Resp. II. Inferiores prælati, videlicet patriarchæ, primates, et archiepiscopi, ac nonnulli episcopi ex speciali privilegio usum Pallii habentes, nec semper nec ubique, sed in Ecclesiis dumtaxat suæ jurisdictioni ecclesiasticæ subjectis, ac certis anni diebus solemnioribus, intra Missarum solemnia Pallii uti possunt: « Quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potesta-